1° Diss. 32-16(13.

10.

Disputatio

DE MVTVO

QVAM

D. O. M. A.

EX CONSENSV ET AVTHORITATE AMPLISsimi Collegij Facultatis Iuridicæ,

PRÆSIDE

NOBILI

ICTO. DN. IOANNE HALBRITTERO: ANTECESSORE IN ACADEMIA Tubingensi primario: Consiliario Brandenburgico, Würtembergico & Badensi, dignissimo & cæt.

PVBLICE DISCVTIENDAM PROponit in Aula Noua ad diem 14. Martij.

Paulus Schnepffius.

TVBINGÆ,
Typis Philippi Gruppenbachij.
Anno 1607.

10

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO, DVCI WÜRTEMbergensi & Teccensi, Comiti Montisbelgardensi, Dynastæ in Haidenheim & Oberkirch/ vtriusque Regij Ordinis, Gallici & Anglici, Equiti generosissimo, Domino suo clementissimo,

Se suamque hanc Disputationem, humillimè, subiectissima deuotissimaq; mente, consecrat & offert

Paulus Schnepffius.

Bayer Staatsb Mun

DISPVTATIO

DE MVTVO.

THESIS I.

MVTVVM EST VOCABVLVM πολύσημον. 1. Mutuum est quodcunque habemus ad tempus, (a) vti est mutua vita, amicitia, & beneuolentia. 2. Quod datur in anteceſſum conductori. (b) 3. Commodatum etiam mutuum dicitur. (c) 4. Pro re quæ mutuò datur accipitur. 5. Pro ipſo contractu mutui.

a) *Cuiat. in Comment. in lib. 28. Pauli ad Edict. pag. 22.* (b) *l. 2. C. De Frumento Vrbis Conſtantinopo. lib. 11.* (c) *l. item legatum. §. i. ff. De Legat. 3.* (d) *l. 2. ff. De Reb. Credit.*

2.

Secundum poſtremam Significationem, quæ vna nobis hîc curæ eſt, ita deſcribi poteſt: Quòd ſit contractus ſeu συνάλλαγμα, iurisgentium, nominatus, re initus, ſtricti iuris, quo quantitatem, hoc eſt, rem, in pondere, numero, menſura conſiſtentem, ea lege vtendam & conſumendam damus, vt accipientis quidem fiat, ita tamen vt in eodem genere reſtituatur.

l. 1. & 2. ff. De Obligat. & Action. §. fin. Inſtit. de Obligat. §. iurisgentium in prin. ff. De Pact. l. 1. §. 1. ff. De Obligat. & Action. l. Si tibi decem. 17. in prin. ff. De Pactis. l. mutuum damus. 2. §. creditum 3. l. qui pecuniam. 30 ff. De Reb. Credit. l. aut mutua. 6. ff. De eo quod certo loco. §. actionum Inſtit. De Action. l. mutuum damus. 2. §. mutui datio 1. l. cùm quid. 3. ff. De Reb. Credit.

Cuiat. in Paratit. & lib. 11. obseruat. cap. 37. Donel. in l. 2. ff. De Reb. Credit.

3.

Diuiditur autem mutuum ex Odofredo, (a) Paulo Castrensi (b) & alijs, in quatuor species, in naturale, ciuile, naturale & ciuile simùl, & id quod ex fictione iuris est. Ab alijs aliter. (c) Nos his reiectis, vnicum tantùm propriè loquendo, quod re interueniente celebratur, secundum Iasonem agnoscimus. (d)

a) *l. quamuis. C. Si Cert. Petat.* (b) *Consil. 186. vol. 1.* (c) *Ioan. Petrus de Ferrar. in pract. tit. De Forma libelli, pro actione hypothet. in verbo mutuo, & ex Causa mutui, & quot modis mutuum accipiatur. Bald. ad Rubr. Si certum Petat. Alexand. in l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus. ff. De Verb. Obligat. Angel. ad tit. Quibus modis re contrahi: Obligat. §. ius autem gentium vers ex hoc iure Instit. De Iure natura:* (d) *Iason in l. mutuum. 2. ff. Si cert. petat.*

4.

Mutuum dare possunt omnes, qui dominium, & rerum suarum liberam administrationem habent, (a) nisi quibusdam nominatim, hoc interdictum sit, (b) Hocq; fit, vel per se, vel per alios. (c)

a) *l. Mutuum. 2. §. appellatur. ff. De Reb. Credit. l. non videntur. 167. & l. nemo plus. 54. l. id quod nostrum ff. De Reg. Iur. l. fin. ff. De Condictione. Causa data & non secuta, l. fin. C. De Rebus alienis non alienand. l. mater. C. De Rei vindi,* (b) *l. 1. & 2. C. Quando ex facto. tuto. vel curato.* (c) *l. 2. & l. principalibus. De Reb. Credit.*

5.

Per se mutuum contrahunt, Paterfamilias (a) filiusfamilias, iu causa peculij Castrensis vel quasi, (b) minor

(b) minor curatorem non habens, (c) Pupillus cum authoritate tutoris, (d) Socius propriam pecuniam mutuò dans, vel communem cæteris consentientibus (e) officiales præsidis prouinciæ, (f) ciuitas. (g)

a) *l. in re mandata C. Mandat. l. sed etsi. §. consuluit. ff. De Petitio. hered. l. nemo extorus. C. De Iudicijs. l. 2. in fin. ff. Si quis à parente manu l. dudum. C. de contrah. empt. Iason in l. nemo in prin. ff. De Pact.* (b) *l. vsque. 2. ff. Ad SC. Macedo. l. vlt. C. Eod. l. 1. §. nec castrense ff. De Colla l. vlt. C. de inofficio Testamento. Sic etiam viaticum suum rectè mutuò dat, cùm peregrè degit, & Pater abest, neq; alius patris nomine experitur, l. si longius. §. 1. ff. De Iud. l. filiusfamilias. 8. in prin. ff. De Procurat. l. sed si vnus. §. ait Prætor. ff De Iniurijs. l. in factum 13. ff. De Obligat. & Action.* (c) *l. verum. 11. §. fin. ff. De Minor.* (d) *l. in negotijs. 5. ff. De Regul. Iuris.* (e) *l. si socius 16. ff. De Reb. Credit.* (f) *l. præsidis prouincia 34. ff. De Reb. Credit.* (g) *l. ciuitas 27. ff. De Reb. Credit.*

6.

Vice versa, Præsides prouinciæ, & qui circa eos sunt, (a) Pater & filius, fratres, (b) Dominus & Seruus ratione patriæ & dominicæ potestatis, (c) infantes, (d) pupilli, (e) minores curatorem habentes, (f) furiosi, mente capti, (g) prodigi (h) fures, (i) & alij, credendo nihil agunt.

a) *l. Principalibus 33. ff. De Reb. Credit. l. qui officij 62. ff. De Contrah. Empt. l. non licet 46. Eod. tit. l. solent, 6. §. fin. ff. De Officio Proconsul. l. vnic. C. De Contract. iud. l. præfectus. ff. De Ritu Nupt.* (b) *l. frater à fratre. ff. De Condict. indeb. l. 4. ff. De Iud.* (c) *l. Serui. ff. De Oblig. & Action. l. in negotijs. 5. ff. De Reg. Iuris.* (d) *§. pupillus Instit. De inutilit. stipulat. l. sequitur. ff. De Vsucap. & ibi Cuiac.* (e) *l. pupillus 59. ff. De Obligat. & Action.* (f) *l. 3. C. De in integ. restit.* (g) *l. 1. §. furiosum. ff. De Obligat. & Action. l. si à furioso. 40. ff. De Reg. Iuris.* (h) *l. is cui bonis. ff. De Curato. Furios.* (i) *l. nam etsi. 13. ff. De Reb. Credit.*

7.

Aliorum nomine rectè credunt, (a) liberi, (b) serui, (c) institores, exercitores, procuratores, (d) modò libera administratio illis sit concessa, vel specialiter id mandatum, (e) tutores, curatores. (f)

a) *In prin. Inst. Per quas person. nobis acq.* (b) *l. mutuum damus. 2. §. fin. l. rogasti. §. si seruus fugitiuus. ff. De Reb. Credit. §. item nobis, Instit. per quas person. l. quod seruus 35. ff. De Solut.* (c) *tot. tit. De Exercit. & Instit. action. l. 2. §. in mutui datione. l. certi. 9. §. si numos. ff. De Reb. Credit.* (d) *l. procurator 58. l. Quod procurator 68. ff. De Procurat.* (e) *l. si pecuniam 26. ff. De Reb. Credit.* (f) *l. tutor. 7 §. si tutor. ff. De Administ. tuto.*

8.

De Institore, hæc quæstio nodosa in disquisitionem venit; an mortuo Domino, contrahere, exigere, vel credere pecuniam possit. Et primum facere posse respondemus, modò ad contrahendum fuerit præpositus, & in eo contractu versetur vtilitas promiscui vsus. Duo posteriora negamus, iusta ignorantia debitorum exoluentium excepta: vel eo ex parte herede instituto, tunc pro ea parte rectè credit, ex qua ipse heres est, minimè pro partibus coheredum: vel si stipulatio vtilis interuenerit, eatenus hereditati nondum aditæ acquirit, aditæ non aliter, nisi adhuc heredes ignorent, eum coheredem ipsis datum.

l Si quis mancipijs. 17. §. impubes, & §. eius. ff. De Instit. action. l. Eius qui in prouincia. ff. De Reb. Credit.

Accipere

9.

Accipere mutuum possunt, qui nec natura, nèc lege, vel SCto. prohibentur. Natura prohibentur pupilli, (a) furiosi. (b) Lege vel SCto, prodigi, (c) minores, puberes, (d) absque consensu curatoris sui, mutuam pecuniam accipientes, filijfamilias, propter SCti Macedoniani prohibitionem. (e)

a) *Horum duo sunt genera, vel dicuntur infantiæ proximi, & hi nè iure quidem naturali obligantur. l. quod pupillus 41. ff. De Condict. indebiti, nisi locupletiores ex eo contractu facti fuerint, vel actio extet nata sit. l. iure naturæ. 206. ff. De Reg. Iur. l. naturaliter in fin. & l. seq. ff. De Condict. indebiti. l. planè 38. ff. De Petition. hered. l. furiosus. ff. De Oblig. & Action. Pubertati proximi naturaliter obligantur, licèt non sint locupletiores facti. l. 1. ff. De Nouat. l. stichus. §. aditio. ff. De Solut. & liberat. l. cùm illud. 25. §. heres. ff. Quando dies legati cedat. D. Bocerus in prima Classe disputat. 2. thesi 16.* (b) *Diss. Cuiac. Donel. ff. De Verb. Obligat. ad l. 127. D. Vult. in Discept. cap. 16. Borch. hic, & omnes ferè Dd. l. certi condictio §. sed etsi. l. furiosi 40. l. in negotijs 5. ff. De Reg. Iuris. l. cùm prætor. 12. ff. De Iud. numerauero. ff. De Reb. Credit.* (c) *l. iu cui bonis. ff. De V. Obligat.* (d) *l. 3. C. De in integ. restit. min. nisi in quantum locupletiores facti sint. l. 1. & 2. C. si aduersus Cred. Molina in tract. de Vsur. Quæst. 37. num. 280. Hart. Pistoris lib. 1. Quæst. Iur. in quæst. 37.* (e) *tot. tit. ff. & C. Ad SCtum Maced.*

10.

Per Filiumfamilias hîc intelligimus omnes liberos, qui in potestate sunt, (a) etiam filiasfamilias, (b) nepotes & pronepotes, (c) in tantum, vt etiamsi filiusfamilias sit ætate matura, industrius, frugi, magistratus, aliáue dignitate præditus, (d) aut ex pecunia mutuò accepta, locupletior factus, nihilominùs SCtum locum habere arbitramur.

a) *l. Nam*

a) l. Nam ciuium. 4. ff. Qui sui vel alieni iuris. (b) l. sed si paterfamilias. 9. §. hoc SCto. ff. Ad SCtum Maced. (c) l. Filium 14. ff. Eod. l. penul. C. Eod. (d) l. 1. §. vlt. ff. Eod.

11.

Sciendum tamen est, hoc SCtum, non vetare quoduis mutuum, sed tantùm mutuam pecuniam, non etiam alias res, quæ mutuò dari possunt, vt sunt quæ constant pondere, aut mensura, veluti æs, aut argentum infectum, vinum, oleum, frumentum, nisi fraus SCto cogitata sit.

l. Si quis patremfamilias. 3. §. Is. autem l. si filiusfamilias. 7. §. mutui dationem. ff. Ad SC. Maced.

12.

Et hoc quidem ius, est sine exceptione, de pecunia filiofamilias credita, si verba SCti sequimur, sed complures sunt Causæ, interpretatione receptæ à veteribus, in quibus mens SCti cessat. Ducuntur enim potissimùm, partim ex persona creditoris, quando creditor iusto errore facti deceptus, putat esse patremfamilias, qui erat filiusfamilias: (a) partim ex persona patris, si voluntate eius mutuò sit pecunia data, aut in rem & vtilitatem patris versa: (b) partim ex persona filij, cùm vice patrisfamilias habetur, (c) vel si sui iuris constitutus, debitum agnoscit. (d)

a) l. 3. in prin. l. penult. ff. Ad SC. Maced. l. 1. & 2. C. Eod. (b) l. item 7. §. interdum verò quanquam. ff. Eod. (c) l. 2. ff. Ad SC. Maced. l. vlt. C. Eod. (d) l. item. 7. §. vlt. l. sed si paterfamilias. 9. ff. Eod. §. fideiussor. Instit. De Fideiuss. l. res hypothecæ. 5. ff. De Pignor. l. vlt. ff. Ad SC. Maced.

Vt

13.

Vt autem mutuum absenti filiofamilias datum, conualescat, hæc tria requiruntur. 1. Vt studiorum gratia, vel alia probabili de causa & voluntate Patris absit. (a) Deinde vt probabilem modum, in mutuando non excedat. (b) Tertiò, vt pecunia ista etiam versa sit in eos vsus, in quos pater pecuniã solebat subministrare, aut in quos vt necessarios, pro pietate & affectu patris subministraturus esset. (c)

a) *l. Macedoniani 5. C. Ad SC. Macedo.* (b) *l. item. 7. §. quod dicitur. ff. Ad. SC. Macedo.* (c) *l. 7. §. proinde. ff. Eod.*

14.

An Filiusfamilias iuramento interposito, Senatui Consulto renuntiare possit, non leuis est controuersia. Nobis negatiua verior videtur.

l. Non est dubium. C. de LL. l. vlt. C. de non numerata pecu. l. quæro. §. inter locatorem. ff. Locat. l. stipulationem. ff. de iur. dotium. l. mulier. ff. de l. commiss. l. qui exceptionem 40. in pr. ff. de condict. indeb. l. Si quis in conscribendo. 51. C. de Episcop. & Cler. l. penult. C. de pact. c. si diligenti. §. 1. de foro compet. & c. contingit 36. §. 1 de sentent. ex commun. c. non est obligatorium. ff. de Reg. Iur. in 6. Panormit. ad C. cùm contingat. num. 12. ext. de iureiur. Sichard. ad Rubr. C. Ad SC. Maced. num 8. & 9. Vulteius ad § penul num. 14. Instit. Quod cum eo, qui in alien. potest. Barth. Sot. in fallentijs reg. sub regula. 419. Connan. lib. 5. cap. 5. Paulus Castrensis. in l. si pœnæ ff. de condict. indeb. Diss. gloss. & Gomez. 2. varia. resolut. cap. 6. Zasius 2. singul. respons. 28.

15.

Ciuitas quoq; superiorem non recognoscens, mutui datione simpliciter obligatur, si ipsa, aut consilium, omnes ciues repræsentans, & de quauis re

ſtatuendi, ſine aliorum conuocatione, facultatem habens, ex cauſa publica, pecuniam mutuam accepit, (a) vel per ſyndicum, & actorem ciuitatis nominatim accipere mandauit. (b) Quòd ſi ipſi actores per ſe, non iuſſu ciuitatis, contemplatione tamen ipſius, mutuum contraxerint, hoc caſu illa diſtinctio notanda eſt, an pecunia fuerit verſa in vtilitatem ciuitatis, nec nè: ſi creditor probare poteſt, in eius emolumentum verſam eſſe ipſa ciuitas: ſin minùs, illi ſoli, qui contraxerunt, tenebuntur, (c) licet expreſsè proteſtati fuerint, eos non velle, ex illo contractu obligatos eſſe. (d)

a) *l. Ciuitas. 27. ff. De Reb. Credit. l. 2. ff. De Acqui. poſſeſ. l. 3. §. plane. ff. Quod in aut clam. l. metum. §. animaduertendum. ff. Quod metus cauſa. l. omnibus. ff. Ad. SC. Trebellia. l. 1. §. deiecciſſe. ff. De Vi & vi arma.* (b) *l. 5. §. geſſiſſe. ff. De Adminiſt. tuto. l. fin. ff. De Exercit. Actio. l. 1. §. 1. ff. De Vi & vi arma.* (c) *d. l. ciuitas.* (d) *l. quæro ff. De Actio Empt.*

16.

Quamuis autem ciues vnanimi conſenſu contrahentes obligentur, non tamen propterea ipſi ſingularitèr, ſed in vniuerſum ſunt obligati, ideóque regularitèr executio non in bona ſingulorum, ſed in bona vniuerſitatis fieri debet. Sin verò bona communia non ſufficerent, tùm demùm magiſtratus indicta collecta, vt in commune tantum conferant, quo æs alienum exolui queat, ciues licitè cogere poteſt: niſi ſemetipſos ſingularitèr obligare voluerint, idque

idque expresse ab ipsis dictum fuerit, hoc casu quilibet eorum obligatus est, & in priuata eorum bona executio pro virili fieri poterit.

l. sicut. 7. ff. Quod cuiuscunque vniuersit. vbi hoc notat Barthol. quem sequitur Bald. in l. 1. §. quod si nemo. ff. Eod. & pluribus comprobat Decius in l. ciuitas. num. 6. versi. & vera resolutio, vbi etiam Bald. & Angel. hoc tenent.

17.

Consistit mutuum in his rebus, quæ pondere, numero, mensura constant, quia in genere suo functionem recipiunt magis per solutionem, quàm in specie.

l. 2. §. 1. ff. De Reb. Credit. §. 1. Instit. Quib. modis re contrab. Obliga. Cuiat. lib. 11. Obserua. cap. 37. Duare. lib. 1. dissputa. cap. 14. Ioan. Robertus Aureli. lib. 3. sentent. cap. 14. Donel. in l. 2. §. 1. ff. De Reb. Credi.

18.

Qua de re grege dato ad numerum, vt totidem capita reddantur eiusdem qualitatis, vel dato pane ponderis certi, vt eiusdem ponderis alius reddatur æquè bonus, vel piscibus datis, aut carne & ligno, quo minùs mutuum contrahatur, nihil impedit.

l. Quòd sapè. 35. §. in his quæ pondere. ff. De Contrab. Emptio. Cuiat. lib. 11. cap. 37.

19.

Porrò requiritur in hoc contractu dominij translatio, & consensus contrahentium. Deficiente horum alterutro mutuum deficit, aut pendet, aut ex postfacto conciliatur.

l. 2. §. creditum. l. si me & Titium 32. l. non. omnis 19. ff. De Reb. credit.

20.

Quapropter si tibi dedero decem, vt nouem debeas, te non amplius ipso iure debere quàm nouem Proculus ait. Sed si dedero decem, vt vndecim debeas, ampliùs, quàm decem condici non posse idem author est.

l. rogasti 11. §. si tibi dedero. l. 2. §. creditum & l. 3. ff. de Reb. Credit.

21.

Quid autem sentiendum sit de illa facti specie, quæ in L. qui pecuniam proponitur, non immeritò dubitatur. Vtpote accepturus pecuniam creditam, spopondit futuro creditori, se eam pecuniam, quanta dicta erat, redditurum, creditor eam non tantum numerare paratus est, sed etiam offert. Quæstionis est, an cogatur pecuniam oblatam acceptare, & verius est, promissorem non accipiendo, nullo modo obligari.

l. qui pecuniam 30. ff. de Reb. Credit.

22.

Interdum mutuum ex sola numeratione conualescit. Vt si dederim alicui pecuniam tuo nomine mutuò, te absente & ignorante, ita tamen vt is, qui pecuniam mutuò accepit, solus tibi obligaretur, nascitur ex numeratione obligatio, & quidem ex mutuo, ratihabitione eius, cuius nomine pecunia mutuò data est, postea accedente.

l. certi Condictio. 9. §. numerauì & seqq. ff. de Reb. Credit.

Accedit

23.

Accedit & hæc elegans quæstio. Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias: Iulianus scribit, donationem non esse: sed an mutua sit videndum est, & cum Vlpiano nec mutuam, neque nummos accipientis fieri, nisi bona fide consumptos, arbitramur.

l. in omnibus 54. ff. de Obliga. & Actio. l. si ego pecuniam. 18. ff. de Reb. Credit.

24.

De nummis alienis, citra voluntatem Domini creditis, vtrùm consumptione mutui efficiantur, non vulgaris controuersia est: & mutuos fieri, si bona fide non dolo ab accipiente consumpti fuerint, putamus. Idcircò si extant vindicari, si verò dolo desinant possideri, & ad exhibendum de his agi potest, si bona fide consumpti sunt, condici possunt.

l. rogasti. 11. l. nam etsi. 13. l. non omnis 19. ff. de Reb. Credi. Donel. in l. rogasti. ff. dicto tit. Diff. Gipha. in explicatione. l. 2. & 7. C. si cert. peta.

25.

Quandoque mutui datio, fit purè, vel in diem, vel sub conditione, (a) gratis, (b) nisi propter vsum pecuniæ, stipulatio vsurarum licitarum fuerit adiecta: (c) interdum securitatis gratia pignora accedunt. (d)

a) *l. omnia. 7. ff. de Reb. Credi. §. omnis Instit. de Verbor. Obligat.*
(b) Fürstenthumbs Würtemberg Landrecht. *Tit.* von gelihenem Gelt oder

Gut/ soll kein Genüß empfangen werden. (c) *l. quod in stipulatione. l. tutor. §. vlt. ff. de vsur. l. 1. & 3. C. de vsur.* (d) *l. creditor. 28. ff. de Reb. Credit.*

26.

Mutuo purè contracto, statim quidem pecunia debetur, (a) quia autem nos non decipi beneficio oportet, (b) ideo congruum tempus, ex qualitate personarum & negotij tacitè inest, de quo Iudex statuere debet. (c) In diem verò conciliato, ante diem etiam inuito creditore solui, (d) non vero peti potest, (e) nisi etiam creditoris causa, dies sit adiectus. (f)

)a *§. omnis Instit. de Verbo. Oblig. l. eum qui ita 56. §. qui ita stipulatur ff. Eod. l. eum qui calendis 41. §. quoties. ff. eod.* (b) *l. in commodato §. idemq; ff. commod.* (c) *Molina. in tracta. de vsur. Quæst. 2. num. 82.* Fürstenthumb Würtemberg Landrecht. *Tit.* Wie gelihen Gelt gefordert vnnd bezahlt soll werden. (d) *l. stipulatio ista. §. inter l. continuus. §. cum ita ff. de verbo. oblig. l. quod certa ff. de solutio. l. si ita stipulatus. l. quod stipulatus. 10. ff. de solutio. l. 2. §. Scæuola ff. Quod certo loco. §. planè Instit. de inutili stipula. l. vero ff. de solutio. l. stichum. ff. eod. l. illud ff. de constit. pecu. l. si vnus ff. de Pactis.* (e) *§. omnis. Instit. de verbo. obliga. l. centesimis 46. ff. eod.* (f) *l. si ita relictum §. pegasus. ff. de lega. 2. l. Iauolenus. ff. de annuis legat.*

27.

Si quis antem Mæuio promittat, vt ei sint centum mutuò, si Titius consul factus fuerit, quando in confesso est, Consulem esse factum, statim quod promissum est, debetur: quòd si Consul factus non est, nulla est obligatio. Proinde si eiusmodi conditiones extitisse, vel non extitisse ignoremus, placuit

rei

rei & naturæ veritatem, & non noſtram ignorantiam, eſſe ſpectandam.

l. Conditio. ff. De Verbo. Obliga. §. conditiones. Inſtit. Eod. l. inſtitutio. ff. De Conditio. Inſtitu. l. Cornelius ff. De Heredi. Inſtit. l. cum ad præſens tempus 37. cum duab. ſeq. l. reſpiciendum. ff. De Reb. Credi.

28.

Sanè vtrùm pecunia ea lege mihi abs te donata, vt eandem tibi crederem, credita fiat, ambigitur: placet Iuliano, talem contractum iuris ſubtilitate attenta, neque donationem, neque mutuum eſſe, benignitatis tamen cauſa, vtrumque valere.

l. Si tibi pecuniam. 20. l. 2. §. appellata ff. De Reb. Credit. l. ſi non ſortem 26. §. penult. ff. De Conditio. indebit. l. in traditionibus 48. ff. De Pactis. l. Si procuratorem in prin. 8. ff. Mandati.

29.

De Vſuris hæc difficilis, perplexa, & ſatis intricata quæſtio, quæ traditur in L. lecta, ſeſe offert. Publius Mæuius credidit Titio, ter mille ſeptingentos, quinquaginta denarios, eoſque ſibi reddi Calendis proximis, & niſi reddantur, vſuram centeſimam, ſtipulatus eſt: poſt incontinenti conuenit inter illos, vt ſortem particulatim ſoluere liceret, nulla mentione facta vſurarum. Primæ Calendæ ſine ſolutione abierunt, Publius Mæuius integræ ſortis vſuras petit, Lucius Titius ſolius penſionis non ſolutæ vſuram offert, quaſi pactum ſtipulationi adiectum, per omnes

omnes eius partes diffundatur, eamque immutet atq; actionem informet. Quæsitum iam est, vtrùm pactum, de sorte particulatim soluenda, statim post sortis & vsurarum stipulationem adiectum, in stipulationem diffundatur, & sicuti sortis, ita & vsurarum obligationem, ob commissam moram pro rata pensionum diuidat, actionemque informet. Nos hic cum Paulo affirmantium partes amplectimur.

L. lecta. ff. de Reb. Credi.

30.

Obseruandum etiam hoc in loco est, singularia quædam recepta esse, circa pecuniam creditam. Nam si tibi debitorem meum iussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamuis nummos meos non acceperis: vel cùm ex causa mandati pecuniam mihi debeas, & conuenerit, vt crediti nomine eam retineas, vtroque casu mutuam fieri censemus.

L. Singularia. 13. ff. De Reb Credit.

31.

Similiter singularis mutuum dandi modus est. Si ego apud te deposui decem, & postea tibi permisi vsum, vt pecunia tibi esset mutua, vti rogaueras. Quæsitum est, an hac conuentione, priusquam moueatur, mutua efficiatur, & fieri mutuam, legis authoritate freti, asserimus.

l. Certi

L. certi condictio. 9. §. depositi ff. De Reb. Credi. Donel. in l. qui negotia 34. ff. Manda.

32.

Est & ille mutuum dandi modus singulariter receptus. Rogâsti me, vt tibi pecuniam mutuam darem, ego cùm non haberem, lancem tibi dedi; vel massam auri, vt eam venderes & nummis vtereris: disceptatur an & quando mutuum contrahatur. Respondetur tunc mutuum contrahi, si vendideris, & nummos acceperis: Nam si vendidisti, & pecuniam non accepisti, non est mutuum, neque condictio competit, sed actio præscriptis verbis.

L. rogasti 11. in princ. ff. De Reb. Credi. l. rogasti ff. De Præscrip. verbis.

33.

Nascitur ex mutuo actio, quæ vocatur condictio, vel condictio certi, (a) condicticia actio, (b) actio mutui, (c) creditæ pecuniæ; (d) item si certum petatur: (e) & non magis est specialis, quàm reliquæ condictiones, ex omni causa & obligatione descendentes, (f) nisi quòd hæc etiam Edicto datur.

a) *In prin. Instit. Quib. mod. re contrahi. Obliga.* (b) *l. si quis certum 24. ff. De Reb. Credi.* (c) *l. neque mutui. 5. C. Quib. non objici. longi tempo. præscrip.* (d) *l. in eum. 29. ff. De Instito. actio.* (e) *l. 1. ff. De Condict. triti.* (f) *l. certi condictio. 9. ff. De Reb. Credi.*

34.

Hæc actio non tantum ei, qui vinum, oleum,

frumentum, pecuniam numeratam, æs, argentum, aurum, aut similes res mutuo dedit, sed etiam, quia in personam, & rei persecutoria est, heredibus mutuo dantis, & in heredes mutuum accipientis, datur.

In prin. Instit. Quib. mod. re contrahi. Obliga. §. 1. Instit. De Perpet. tempora. actio. l. si hominem. 7. ff. Depositi.

35.

Conuentus igitur hac actione, creditum in eodem genere, & in eadem bonitate reddet, quamuis nominatim hoc cautum non sit. Cùm enim mutuum quid dederimus, etsi non cauimus, vt æquè bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem reddere.

§. 1. Instit. Quib. mod. re contrahi. obliga. l. cum quid. 3. ff. De Reb. Credit. Donel. & Forch. hic.

36.

Debitor etiam non consentiente creditore, reddendo eandem rem, quam accepit mutuò, liberatur, modò eadem species rectè reddatur, non deterior & sine iniuria creditoris.

L. 1. & 2. §. 1. & l. 3. ff. De Reb. Credit.

37.

Ex his patescit, quemadmodum in mutuo, eadem bonitate solui quid debet, qua datum est, ita quoque totum, quod mutuo datum est, reddi debet, nec

nec compellitur creditor inuitus partem accipere. Quamuis Prætor humaniùs facturus videatur, si actorem compulerit ad accipiendum id, quod offertur, denegata oblatæ partis actione, præsertim cùm ad officium eius pertineat, lites deminuere.

L. Quidam existimauerunt. 21. ff. De Reb. Credi. & ibi Donel. Borch. cap. 7. num. 25. ff. De Reb. Credi. Gœddeus ad. l. 32. num. 9. ff. De Verbo. Signifi.

38.

An pecunia mutuo data, in eodem genere & bonitate restituenda sit, quemadmodum vinum, oleum, frumentum, & reliquæ res fungibiles, magnus est ea de re Doctorum conflictus. Nos hanc quæstionem, cùm facti speciem magis secundum conuentionis legem referat, quàm vt in iuris fictionibus consistat, ex conuentionis formula & lege, omnino decidendam esse iudicamus.

Molinæ. de vsur. num. 717. And. Knichen de Saxo. non prouocan. iure & priuileg. num. 319.]

39.

Inprimis verò ponderandum est, vtrùm nummi ad numerum, vel æstimati mutuo dati sint, vel vtroque modo. (a) Primo casu ijdem genere restituendi sunt, (b) neque pro aureis, argenteos, nisi debitor ad restitutionem aureorum non sit idoneus: (c) alterius tamen signaturæ aureos creditor

inuitus accipere tenetur, (d) modò ex eadem re nullum damnum sit passurus. (e) Secundo casu, si simpliciter æstimati dati sunt, liberum est, creditori vel aureos soluere, vel alios nummos, locabiles tamen & expendibiles, vsque ad concurrentem quantitatem, (f) cum hoc temperamento, vt si grossa pecunia fuerit data, minuta pecunia, reluctante creditore, solui non possit. (g) Tertio casu, eadem corpora in genere, & eadem æstimatio reddenda est. 5

a) *Andr. Knichen. d. loco Annæ. Robertus de Reb. iudi. lib. 1. cap. 16.* (b) *l. 2. & 3. ff. De Reb. Credi.* (c) *Nouel. 4. cap. 3. & ibi Cuiat. D. Boce. in in class. 1. Disput. 8. thesi 46.* (d) *Cothman. Consil. 36. And. Knich. d. loco. num. 396.* (e) *l. creditorem 99. ff. De Solutio.* (f) *l. plerunque. 10. §. si res in dotem. ff. De Iure dotium. Cuiat. ad Nouel. 4. cap. 3.* (g) *l. 1. C. de Veter. numis. potesta. l. 3. ff. De Reb. Credi. §. & quoniam, Instit. Quib. mod. re contrahi. Textus est, in Constitu. Imperij, promulgatus Anno 1559.*

40.

Relata igitur distinctio, nobis nodum illum gordium, de commodo vel incommodo aucti vel diminuti valoris, tot acutissimos & grauissimos ICtos, partim creditori, (a) partim debitori, (b) subscribentes, torquentem, soluit.

a) *Bartho. in l. Paulus & Raphael Cumanus ibidem. ff. De Solutio. Dida. Couarru. de numis. libr. 1. conclus. 4. Geil. libr. 2. obseruat. 73. num. 9. Cuiat. in l. 2. C. de Vete. numis. potesta. Borch. de Reb. Credit. cap. 7. nu. 17.* (b) *Bald. in l. acceptam. C. de vsur. Petrus Costald. in l. res in dotem. ff. De Iure Dotium. Carol. Molinæ. de Contracti. quæst. 92. Bronchost. Centur. 1. obseruat. 64.*

Non

41.

Non minor existit dissensio animorum, de numis ad numerum creditis, & non amplius existentibus, vel depretiatis, vel si sine maximo sumptu comparari nequeant, cuius temporis æstimatio debeatur. Nobis tempus contractus arridet.

l. 3. ff. De Reb. Credi. Aimon. Crauetta Consil. 836. num. 6. circa finem. Afflict. in c. 1. verbo monetæ, vbi hoc prolixè tractat, & hanc communem opinionem esse atteſtatur. Panor. in c. quanto. De Iureiu. Afflict. decis. 194. Azo in suis Procardiis. Olrad. Consil. 13. & 250. Canonistæ, in c. olim causam in c. quanto. De Censib. Mynsi. Cent. 4. Obs. 1. Diss. multi relati à Cothmanno.

42.

Diuersa est ratio vini, frumenti, olei, & similium mercium, in quibus auctæ & imminutæ æstimationis commodum, vel incommodum ad creditorem spectat, modò debitor in eodem genere, & bonitate, suo die, aut nullo die adiecto ante litem contestatam, prædictas merces reddat.

l. 3. ff. De Reb. Credi. in prin. Instit. Quib. mod. re contrahi. Obliga. l. 1. ff. De Pactis. l. nihil tam naturale ff. De Reg. Iur. l. nemo videtur. ff. Eod. tit.

43

Quòd si eueniat, vt res, quæ mutuò data est, in eodem genere & bonitate, ob eius forsan defectum, aut comparandi difficultatem, restitui nequeat. Quæstionis lubricæ est, cuius temporis æstimatio facienda sit, contractus, diei constituti, moræ, li-

tis conteſtatæ, an verò condemnationis. Nos cum Iuliano ex ſententia Sabini reſpondemus, ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, tanti æſtimandam, quanti tunc fuiſſet, ſi non, quanti tunc cum petita eſſet.

l. vinum. 22. ff. De Reb. Credi. l. vlt. ff. D Condictio. tritica. Iaſon. in l. 2. ff. De Reb. Credi. Donel. in d. l. vinum 22. Cuiat. in l. hominem. ff. Manda. l. quotiens. 59. ff. De Verbo Oblig. Duare. ad tit. Si cert. peta. Anto. Faber lib. 16. coniect. cap. 1. 2. 3. 4 5. & alijs ſequentibus. Hotom. lib. quæſt. Illuſt. quæſt. 16. Borch. ad tit. de Reb. Credi. cap. 7. num. 91. vſque ad finem. Paul. Picus à monte Pico. ſuper. l. vinum num. 11. Diſſ. communiter Dd.

44.

Ab hac actione, caſus quoque fortuitus, debitorem mutuo accipientem non liberat, (a) quamuis aliâs à nullo præſtetur, (b) niſi iniuſta mora, vel culpa caſum præcedat, (c) aut aliud conuentione ſit actum. (d)

a) *l. incendium. C. Si cert. peta. §. item ſi cui res aliqua. Inſtit. Quib. mod. re contrahi obliga. l. 1. §. & ille. ff. De Oblig. & Actio.* (b) *l. 6. C. De Pigno. actio.* (c) *l. Si in Aſia 12. §. 3. ff. Depoſi. l. ſi vt certo loco. §. 4. ff. commoda.* (d) *l. quæ fortuitis 6. C. De Pigno. actio. l. iuriſgentium 7. §. 15. ff. De Pact.*

FINIS.